

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8608

Auteur(s) : Guillaume de Roumare, Lincoln (comte)

Bénéficiaire(s) : Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : 1147, 07 novembre

Lieu d'émission : Neuf-Marché

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume de Roumare, comte de Lincoln, notifie à Hugues, archevêque de Rouen, et confirme que Eudes de Grainville et Arnoul Bendengel donnent aux moines de Mortemer toute la terre de Brémule à condition que les moines paient un cens à Eudes, à Arnoul et à leur héritiers. Les moines donnent à Eudes et Arnoul 20 livres parisis chacun et 30 sous parisis à leur femmes et leur enfants. Robert d'Alisy, de qui les donateurs tiennent cette terre, et Nicolas de Perriers, de qui Robert tient cette terre. Eudes et Arnoul donnent également la dîme de cette terre à l'abbaye de Mortemer.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Gallagher Philip Francis, *The Monastery of Mortemer en Lyons in the Twelfth Century*, its History and its Cartulary, Thèse, University of Notre-Dame, Indiana, 1970, 375 p. (dactyl.), « The Cartulary of Mortemer – B. N. MS. Latin 18369 », Act 113, p. 264-266.

Texte d'après a

[D]omno suo karissimo Hugoni Dei gratia Rotomagensi archiepiscopo omnibusque amicis suis tam clericis quam laicis Willelmus de Roimara comes Lincolnensis, Salutem. Notum sit vobis omnibusque fidelibus tam presentibus quam futuris quod Odo de Grainvilla et Arnulfus Bendengel dederunt Deo et sancte Marie de Mortuomari et fratribus ordinis cisterciensis ibidem Deo servientibus, pro salute animarum suarum et antecessorum atque omnium amicorum suorum, concedentibus uxoribus suis et heredibus, totam terram de Bremulia in elemosinam simul et ad censem, eo tenore ut predicti fratres per constitutum censem, id est, per duos modios communis bladi qualem terra protulerit et unum avene sine omni alio redditu et servicio vel consuetudine ab ipsis et heredibus eorum post eos libere et absolute in perpetuum terram teneant, exceptis dumtaxat .X. acris quas predictus Odo donaverat, .VI. sorori sue et .IIII. in elemosinam, monachis de Noniū et has etiam quando eas adquirere poterunt. Fratres autem qui terram tenent dabunt eis censem denominatum singulis annis ad festum omnium sanctorum apud Bremuliam ad mensuram de Andeleio, dimidium scilicet Odoni et dimidium Arnulfo vel successoribus eorum post eos. Hanc donationem fecerunt Odo et Arnulfus cum astrictione fidei sue, adfidentes quod conventio, illa que inter eos et fratres de Mortuomari facta est eo modo quo presens scriptum testatur nullatenus irrita fiet sed quicquid eis donaverunt vel concesserunt ab omni calumpnia liberum in perpetuum permanebit, accipiente unoquoque eorum XX libras parisienses et uxore uniuscuiusque cum filiis et filiabus suis XXX solidos parisienses. Hanc eorum donationem concessit Robertus de Alisio a quo illi terram tenent, salvo servicio quod ei Arnulfus debet, eo tenore quod si Arnulfus servicium suum ei non fecerit, ipse Robertus non ad terram sed ad censem quem fratres pro

terra reddunt se recognoscet et per censum illum coget ut ad concordiam eius redeat, ita scilicet ut quicquid illi fecerint ; terra tamen omnimodis fratribus semper in pace remaneat, accipiente ipso Roberto de caritate ecclesie de Mortuomari .XL. solidos parisienses. Hoc etiam concessit Nicholaus de Perers, a quo Robertus terram tenet, et Hugo filius eiusdem Nicholai ea condicione ut fratres tres clericos pro salute animarum illorum ad monachatum susciperent, quod et fecerunt, salvo etiam servicio quod Robertus ei debet, eadem lege qua inter ipsum et Arnulfum diffinitum est, ut scilicet non ad terram sed ad censum se recognoscatur si Robertus servicium suum ei non fecerit, fratrum etiam pace servata et terra eis libere permanente. Preterea etiam decimam quam cui volebant tunc temporis dare poterant, Odo scilicet et Arnulfus, eidem ecclesie donaverunt. Horum omnium que supradicta sunt testes sunt hii : Richardus sacerdos de Alisio, Hugo sacerdos de Wascolio, Ioscelinus Crespinus, Engelrannus de Wascolio, Godefridus de Gamagus, Walo de Tigreivilla, Anscherus de Salcei, Robertus filius Beatricis nepos eius, Willelmus de Baisu, Hugo de Plaisetto, Hugo de Lisors, Richardus de Rolivilla, Robertus cognatus Roberto de Alisio, Willelmus de Vendrimara, Rogerus et Robertus de Crescentivilla, Godefridus de Strepeneio et Robertus frater eius, Turkitinus Pancia et Walterus et Odo filii eius et Robertus Pinel de Lisors. Quod totum ego Willelmus de Roumara, comes Lincolnensis de cuius feodo terra est, laudo atque firmiter concede, et ut in perpetuum ratum permaneat, pro salute anime mee et Hadewise uxoris mee et Willelmi filii mei atque omnium amicorum meorum, sigilli mei impressione confirmo, concedente eadem uxore mea et filio meo. Testes : Gioldus sacerdos, Rogerus capellanus, Gislebertus de Martiniaco, Willelmus de Tileio, Helimannus de Amaracuria, Philippus Buhere, Hugo Hosart, Odo monachus, Wido Povilla, Walterus de Canahan, Willelmus de Dodavilla, Walterus Moisnel, Robertus de Guardis, Hugo de Ver. Hec donatio Odonis et Arnulfi et concessio Roberti et Nicholai et Hugonis facta est anno ab incarnatione domini MCXLVI. Et hec carta data est anno sequenti apud Novum Mercatum, VII idus novenbris (sic).